



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De illis qui suscipiunt sacramentum & rem: & rem non sacramentum: &
sacramentum & non rem. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

fitio virtutum affert decorem, & hæc est res huius sacramenti, scil. interior munditia.

Queritur an baptismus aperuit cœlum, quod non aperuit circumcisio.

Si queritur. Vtrum baptismus aperuit cœlum, quod nō aperuit circumcisio? Dicimus quia nec baptismus nec circumcisio regni nobis aditū aperuit, sed hostia saluatoris: quæ si tēpore circumcisionis oblata fuisset illius tēporis homines regnum intrassent. Res ergo huius sacramēti iustificatio est. **QVOD ALII SVSCIPIVNT SACRAMENTUM & rem, alii sacramentum, & non rem, alii rem & non sacramentum.**

DISTINCT. IV.

Hic dicendum est, aliquos suscipere sacramentum & rem sacramenti, aliquos sacramentum & non rem, aliquos rem & non sacramentum. Sacramentum & rem simul suscipiunt omnes parvuli, qui in baptismo ab originali mundantur peccato: quamvis quidam diffiteantur, illis qui perituri sunt parvulis in baptismo dimitti peccata, innitentes illi verbo Aug. Sacramēta in solis electis efficiunt, quod figurant: nō intelligentes illud ita esse accipiendum, quia cum in aliis efficiant sacramēta remissionē, non hoc eis faciunt ad salutē, sed solis electis. Nam quod omnibus parvulis in baptismo remittatur peccatū per baptismum, Aug. evidenter dicit. A parvulo, inquit recēter nato vsque ad decrepitem senem, sicut nullus prohibetur à baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo: sed parvuli tantum originali, maiores vero etiam omnibus quæ male viuendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt, nisi enormitas vitæ impediatur. Adulti quoq; qui cum fide baptizantur, sacramentum & rem suscipiunt.

De fictē accedentibus.

Qui vero sine fide vel fictē accedunt, sacramentum,

De quorundam errore. In lib. de baptismo contra Donatist. primo in sine ca. 8. t. 7. In Ench. ca. in princ. 43. in to. 3.